



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornæ, 1753**

Benedictio novorum fructuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36023**

*Benedictio Panis.*

*Y.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum Spiritu tuo.

*Oremus.*

**S**ubveniat, quæsumus Domine, tuæ benedictionis gratia huic oratorum creaturæ, ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

*Benedictio Panis.*

*Y.* Adjutorium &c. *R.* Dominus vobiscum &c.

*Oremus.*

**D**omine Jesu Christe Panis Angelorum, Panis vivus æternæ vitæ, benedicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Aspergat aqua benedicta.

*Benedictio Panis alia*

*Y.* Adjutorium &c. *R.* Dominus vobiscum &c.

*Oremus.*

**D**omine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta spiritali benedictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atq; contra omnes morbos, & universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, panem vivum, qui de coelo descendit, & dat vitam & salutem mundo: & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Mox aspergat aqua benedicta.

*Benedictio novorum Fructuum.*

*Y.* Adjutorium &c. Dominus vobiscum &c.

*Oremus.*

**B**enedic Domine hos novos fructus N. & præsta, ut qui ex eis in tuo sancto nomine vescantur, corporis & animæ salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

*Benedictio Herbarum in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis*

Sacerdos indutus alba, manipulo & stola absq; casula, ante summam missam, habens coram se herbas benedicendas, dicat signando se signo S. Crucis.

*Y.* Adjutorium nostrum &c. *R.* Qui fecit coelum & terram.

*Y.* Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

*Y.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**D**omine sancte, Pater omnipotens, qui ab initio fecisti hominem ad imaginem tuam, & condidisti coelum & terram, Solem & Lunam, Stellas, & omnia cœlestia & terrestria. Tu Domine dominaris potestati maris, tu habes potestatem abyssi magnæ, tu condidisti omnia Elementa:

tu